



ΓΑΜΗΛΙΟΝ,
Imp. Caes. Aug. Max.

CAROLO VI.

IMPERANTE;

FRIDERICO

AUGUSTO,

SAXONI:

MARIÆ

JOSEPHÆ,

ARCHIDUCI,

Omnium, quas Conditio Mortalium recipit,
GRATIARUM PRINCIPIBUS,

Cum

Festum Deorum CONVIVIUM,

In Speciosa, spatiosaq. Austriacorum Regia,

Cum omnigeno Cultu, Luxuq. ageretur,

Hilarî Pietate

Celebratum, atque consecratum

J. C. NEWEN, Colon. Caes. Aul. Poët. Laur.

An. Maternae Virginitatis MDCCXIX. D. XX. Vrbilis.

VIENNÆ AUSTRIÆ, Typis Wolfgangi Schweudimann, Universitatis Typographi.



CL. CLAUDIANI
IN NUPTIAS HONORII, ET MARIE
P R A E F A T I O.

Surgeret in Thalamum ducto cum Felion Arcu,
Nec caperet tantos hospita Terra Deos;
Cum Socer aequoreus, numerosaque Turba Sororum
Certarent, Epulis continuare Dies,
Praeberetq; Jovi communia Pocula Chiron,
Molliter obliqua Parte refusus Equi;
Penæus gelidos mutaret Nectare Fontes:
Oetaeis fluere spumea Vina Jugis;
Terpsichore facilem lascivâ Pollice movit
Barbiton, & molles duxit in Antra Choros.
Carmina nec Superis, nec displicere Tonanti,
Cum teneris nôssent congrua Vota Modis.
Centauri, Fauniq; negant, quæ flectere Rhoeton,
Quæ rigidum poterant Plectra movere Pholum.
Septima Lux aderat Coelô, totiénsq; renatus,
Viderat exactos Hesperus Igne Choros.
Tum Phoebus, quo Saxa domat, quo pertrahit Ornos,
Pectine tentavit nobiliore Lyram;
Venturûmq; sacris Fidibus jam spondet Achillem:
Jam phrygias Caedes: jam Simoënta canit.
Fronosô strepuit felix Hymenaeus Olympô;
Reginam resonant Othrys, & Ossa Thetin.

AD PRINCIPES CONJUGES.



Prodigiosus ille Nuptiarum Conviva, Connubiorum Con-
 dus, Auctor, Fautor, quantumvis Zelotes, Principes Terra-
 rum, DEOS appellavit. His affurgit Populus: huic Princeps,
 & Populus. Qui DEO debetur, Cultus, à Religione est: qui
 Principibus, ab Obsequio. Eminere, regium est; sed ma-
 gis: prodesse, servare, Patriæ, Sociisque, consulere: Orbi Quietem, Seculo Pa-
 cem, dare. Hac Conscientiâ freti, Cives, Principes suos, attoniti, suspiciunt,
 admirantur, ac laetissimâ Animâ excipiunt. Ad efferendum ejusmodi
 Studium, Rei dicendæ Magnitudo egregiè conspirat; nec poterit ingrata esse
 eorum Descriptio, quorum Conspectus fuit longè jucundissimus. Facit enim
 Narratio, ut diuturnior sit Memoria, quàm, quæ Oblivione intercidunt; *nec
 occultum est, quando ex Veritate, quando adumbratâ Laetitiâ, Facta Impera-
 torum celebrentur.* (a)

Hoc CONVIVIUM, Croesi, Craesique Opibûs dignius, & ditius, quod,
 jussu Caesaris, nobis celebrare contigit, ingenuâ Devotione recensebimus;
 ut, quotquot hæc legerint, Augustæ Magnificentiæ Monumenta agnos-
 cant. Ità J. Caesar, de quo dubites, meliôrne fuerit Imperator, an Scri-
 ptor, *initô Honore, primus omnium instituit: ut tam Senatûs, quàm Popu-
 li, diurna Acta conficerentur, & publicarentur.* (b) Verùm, qui Regum Vul-
 tus in Aera inducunt, quam ab Arte nequeunt, ab insculpta Imperan-
 tium Imagine, Benevolentiam mutuuntur. Dum Indulgentissimi suavis-
 simorum Morum, & Amorum, PRINCIPES CONJUGES utramque Pa-
 ginam faciunt; Veniam merebitur infra Fastigium subsidens Oratio. Non
 unus Eloquentiæ Vultus est, plures Species deprehendit; nec statim de-
 terius, quod diversum.

Placeat igitur, FRIDERICE, hoc quaecunque Solertiæ Do-
 cumentum; cujus auspiciatissimum Conjugium, & tutissimum,
 CAROLO, Laetitiæ Publ. Auspici, & Vindici, (& cui non?) placuit;
*Qui sibi Te Generum fraternâ Prole revinxit;
 Cui MARIAM debes.* (c)

Videbor præter Decorem fecisse Hospitum, & CONVIVII; sed horum
 Magnitudinem Sanguinis esse constat, & Virtutum: hujus eminentioris
 Fortunæ, ac Felicitatis. Quidquid mediocre dixerò, à Vero abludet:
 quidquid excelsum, Invidiæ opportunum videbitur. Principes publ. Gra-
 tulationis Officia exhiberi sibi verius patiuntur, quàm ambiant; nam,
 summô Rerum judiciô sibi servatô, nobis duntaxat Obsequii Gloriam re-
 linquunt. Quid enim? *Industriæ maximum Præmium, Judicium Prin-
 cipis: Suffragium Principis.* (d)

INCLYTI PRINCIPES! quam Gratiam à Musis nequeo, à vestra spero
 Felicitate, & Tutela; illud maximè: ut, qualem me erga Vos esse jam osten-
 do, talem per Aetatem fore credatis. Ità hanc Fiduciam, nisi improba est,
 ratam esse jubeat: ac vobis perpetuùm DEUS benefaxit!

(a) C. Tac. An. IV. (b) C. Sueton. Transg. in J. Caes. C. XX. (c) C. Claud. de Nupt. Hon. & Mat. (d) Plin.

MESSIA CUNCTA FELICITANTE.



FRIDERICUS, & MARIA, Conjuges, in quibus omnium Gratiarum Decus Natura consumpsit, Honore, qui Principes: Cultu, qui Sponsos: Domûs Augustæ Officiis, quæ deceant Amicos, excipiuntur; nullo intermissô Studiô, quod præstari Loci, Temporisque sivit Opportunitas. Non indignum tantis Hospitibus CONVIVIUM: nec indigni tantô CONVIVIO Hospites; si illos intueamur, pervetusta Majestatis heroica Dignitas, Gravitas, Gratia utrinque blanditur; Dignitas, quæ Deorum Sanguine natos: Gravitas, quæ SAXONES-AUSTRIACOS: Gratia, quæ amantissimos Conjuges deceat; si illud autem: variô Opere, & Ordine interlucente, pellucens hoc Obsonium magnâ Concinnitate miscetur. Non alio Apparatu Duces suos Athenæ, Cleopatram Aegyptus, Agrippinam Roma, Alexandrum Tyrus, exceperunt. Veteribus in Deliciis suère Pavus è Samo, Attagen Ionicus, Grues Melicæ, Hoedus ex Ambracia, Pelamis Chalcedonia, Helops Rhodius, Scari Sicilices, Conchylia Lucrina, Murenarum Lactes, Mulli Massilienses, Phœnicopterorum Linguae. Harum Cupediarum nihil hic; sed inquilinâ Austriæ Benignitate, propitiiisque Elementis, hic omnia Palato, Oculis, Auribus, Naribus, lenocinantur. Non hic Asinii Celeris, aut Apicii, aut Claudii, aut Caligulae, Cupiditati litatur; neque remotorum Littorum Pisces, peregrini Aëris Volucres, alieni Temporis Flores; verûm domestica Cibariorum Copia, quidquid in Gulæ Gratiâ avarus Deliciarum Animus excogitare possit, abundantissimè ministrat. Hibernæ Poculis Rosæ imatant, & æstiva in Gemmis capacibus Glacie Falerna franguntur; atque amoenô prorsus Incendiô illos mirificè ex hilarant, in quos Aciem etiam è longinquo vibrârunt;

Paulatimque Animâ caluerunt mollia Saxa. (c)

Jucundissimâ namque hac Animi Agitatione dubiam Palmam faciunt: utrum impensius AUGUSTUS MARIAM: an AUGUSTUM MARIA, adamet. Sic Jovem Junoni, Peleum Tbetidi, Cyrum Aspasiæ, Augustum Liviae, Honorium Mariæ, credam arrisisse. Eo itaque Consiliô festivum hoc Negotium ornatum, & ordinatum: ut omnia Convivis, CONVIVIOQUE digna peragantur; atque de Vindobona, quod ille de Roma, non imeritô dici, ac prædicari valeat;

Omnia germanæ cedant Miracula Terræ;

Natura hic posuit, quidquid ubique fuit. (f)

FER-

(c) Juv. Sat. 1. (f) Propert.



FERCULUM I.



Rimaria igitur Tragemata, Curâ Mensæ augustæ Procuratoris, publicis Nuptiarum Sacris destinata, quæ principem Sigmatis Locum occupant, paranymphus Aulæ Genius Votô Felicitatis perpetuô Dedicat, atque consecrat

HONORI, & AMORI.

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS, quòd, detersâ Temporum Caligine, Coelum nostrum, Claritudine Gentis utriusque, iterum serenaverint; More, Modòque veteri, adclamatur, & comiter adplauditur:

Avete.

Sanguen, Dls. oriundum.

AUGUSTE. & AUGUSTA.

Quandòquidem sacer Nuptiarum Conciliator, S. R. I. COM. DE FLEMMING, Rebûs jam prudenter, & ritè peractis, omnia consummatissimi Ministri regii Officia undique adimplevisset, Idibus Augusti, Romanis olim Venatorum Festò, in Aulam augustam cæsaream, magnificentissimò Comitatu, & Comitatu singulari, introducitur;

*Qualis odoratis descendens Liber ab Indis,
Egit pampineos, froenata Tigride, Currus; (g)*

Comitante Pompam bonorû omnium Affectu, Fiduciaras itaque Nuptias,

A 3

invi-

(g) Sil. Ital.

inviçtô , arduôque excellentissimi Viri Conatu jam ratas, signatâsque, ac mutuô etiam Pignore concordés, vetus hæc explicít Inscriptio :

Signatæ Tabulæ: dictum feliciter! ingens
Coena sedet. (h)

MARIÆ JOSEPHÆ, Corporis, atque Animi Virtutes, quibûs Fortunam Thalami regii ante omnes promeretur, hoc geniale indicat, & indigítat Encomium, sumtuosissimis Cibariis adscriptum:

Jam Munera Nuptæ
Præparat, & pulchros, MARIÆ sed Luce minores,
Eligit Ornatus. (i)

Festis his Gaudiis, Obsequiis, Votis, Auguriis, Vienna austriaca, Urbs, quod olim de Roma dictum, *cunctarum Gentium*, hilariter indulget, & innoxio Tripudio exultat; meliorum Vatum Ingeniis, felici Ubertate affluentibus. Atque, ut universa Hilaritas omnium Sensuum Gratiam occupet, & aucupetur, laudabilè Gyantomachiâ novos Helicones excogitant; ac, Montibus supra Montes positis, Olympo Pindum advolvunt; & canora Plausibus, Symphoniis, Choris, Plectrisque, Theatra vacuum altæ Noctis Silentium facundas in Voces, serenósque Dies, animant. *Talis est Musica, quæ facillimè Luctum levat, facillimè Iram cobibet; optimè Cupiditates temperat, Dolores mitigat, Amores solatur, adversam sublevat Fortunam. Optima hæc in Sacrificiis Comes, in Epulis convictrix, Imperatrix in Bello; hæc est, quæ maximè in Festis reficit, Bacchanalibus saltat, in Mysteriis afflat Homines: hujus præcipuum quoque Opus est, Modulatione suâ Rempubl. temperare.* (k) Quod CONVIVIUM, tam solemnè Apparatu, ac discordi Concordiâ, ad Noctis, ut cum Plauto, Leporum Patre, loquar, Meridiem celebratum, adfixo super Epulis Lemmate non obscurè adsignificatur:

Cui Nocturnus Honos, Funalia clara, sacérque
Post Epulas Tibicen adest. (l)

FERCULUM II.

FERCULUM II. Austria, Orbis unica Gemma, Saxonix unico Adamanti adamata, ad reciprocum Affectum animata, scribit, & inscribit

FE-

(h) *Juv. Sat. 11.* (i) *C. Claud. de Nupt. Hon. & Mar.* (k) *M. Tyr. Dissert. XXI.* (l) *Sil. Ital. L. VI. Tac. An. IV.*

FELICITATI, & HILARITATI.

Præterea publicis his Sacris Patriæ gratantis, & ovantis Amor, Affectu intemeratô, ratôque, faustum, felixque augustissimis Convivis ominatur:

Bene.

Et, Votis. congruenter!

Genio. sacrificari. ac. Festa. placere,

Vanescit AUGUSTI Honor, inquit vaferrimus Arcanorum Indagator, sibi promiscuè Adulationibus vulgatur. (m) Ità est; vanescunt & Hortorum, Florumque Decora; sed AUGUSTI, & MARIÆ Fides, Decus, Pietas, etiam in Posteris, jugiter efflorebunt. Magne, æternæ DEUS, quem nuper orthodoxæ Ecclesiæ: modò Inviçto Romanorum Imperatori, æternum conciliavisti, propitius, tuere! & adsignatum Dapibus hoc sincerum ac fidissimum volve, ac evolve Votum:

Exeat ad Coelum Ramis felicibus Arbos,
Mireturque novas Frondes! (n)

Evax! Inclytum Poloniarum Regnum, & utraque alma Saxonia, ad publ. Salutis Firmamentum componuntur, faustissimôque ex Conjugio non Spem modò, sed Fiduciam luculentam divinitus fortiuntur,

Inque Decus MARIÆ jam Sidera parturit Aether. (o)

Audivistis, aut vidistis hunc Plausum? O fida Patriæ Pignora! Patres Reipubl. Viri principes; sic vobis avent, faventque propitii DI Jugales!

Frondosô strepuit felix Hymenæus Olympô;
Reginam resonant Othrys, & Ossa. (p)

Si justum Justini judicium, *Nubendo non prosperæ tantum, sed omnis Fortune iniitur Societas. (q) & Annulus in mutæ Dilectionis traditur Pignus, quo Corda junguntur, & conjugantur; Quam perennem Animorum, Amorum, & Armorum, utriusque Domûs augustæ Concordiam stabilit hoc Connubium; quemadmodum suadet, spondetque festiva subtus Allocutio:*

Tu, festas, Hymenæe, Faces; tu, Gratia, Flores
Elige; tu, geminas, Concordia, nocte Coronas. (r)

FERCULUM III.

FERCULUM III. structa, velut ad Infidias Sensuum, Bellaria, dulcia
Bella, propinant splendidissimo Convivarum, CONVIVIIQUE regalis

OBLECTAMENTO, & ORNAMENTO.

Hic Annus, Annulô Gygis felicior, fabulantiûmque Miraculîs Vatum
dignissimus; qualem Romani censuerunt unum: Saxones unicum;
siquidem sacer Imperatori Mensis, & Mensa, inauguratos, inauratôsq; in-
digitat Conjuges: *Augustus* AUGUSTOS:

Conjugibus.

Anno. & Mense. Augusto. initiatis.

Augusta. omnia. Auguratur.

MARIÆ JOSEPHÆ, ad augustos Thalamos introeunti, quodd felicî
Conjunctione cum regio Principe, Saxonici Sanguinis Vetustatem, &
Venustatem, ad pristinam denuð Majestatem auspicað evehat:

I, digno neçtenda Viro, tantique per Orbem
Confors Imperii! jam Te venerabitur Ister;
Nomen adorabunt Populi; jam Rhenus, & Albis
Serviet; in medios ibis, Regina, Sicambros. (s)

Ter felicissimam AUGUSTI Consortem parî Fiduciâ Spes publ. profe-
quitur, & Regis, Parentum, ac Patriæ Vota publ. solemnî signat Auguriô:

Sic Puer AUGUSTUM superet Virtute Parentem:
Aurea sic videat similes Concordia Taedas;
Sic Uterus crescat MARIÆ; sic, natus in Ostro,
Parvus Honoriades Genibus confidat avitis. (t)

Omnia ferè Elementa nobiscum quodammodò velle gratulari videntur,
ob electissimum Gentis utriusque Connubium, Amicitiam, & Incolumita-
tem Temporum. Quod ipsum vetustus exprimit Adplausus:

Hæc Vox aethereis insonet Axibus;
Hæc vox per Populos, per Mare, transeat:
Formosus MARIAM ducit AUGUSTUS! (u)

FER.

(s) C. Claud. *ibid.* (t) *Id ibid.* (u) C. Claud. *in festo.*

FERCULUM IV.

FERCULUM IV. Musa quoque aulica Devotione perennâ, qua Principes suos jugiter veneratur, parâ obsequiô humillimè dedicat:

VIRTUTI, & DECORI.

Nec non antiquô nobilis Militiæ Sacramentô, æviterno Sereniss. SAXONIS Numini devota, summam Votorum dependit, & appendit hac duraturâ ad fulgidam Aeternitatem Tabulâ:

FRIDERICO. AUGUSTO.

Heroi. Herculi. Pacis. Delicio.
Salus! Gloria! Immortalitas!

Taciti nostri Testimoniô, *Titi Ingenium quantacunque Fortune capax, Decor Oris cum quadam Majestate.* (x) Inclytum SAXONIÆ DUCEM, DI boni, quantum Principem! Poëtarum Princeps, & Principum Poëta, non inidoniô commendat Elogiô, & Eloquiô:

Haud ille videtur
Mortali Genitore satus, sed Sanguine Divûm. (y)

Vehebatur olim Berecynthia, Deorum Mater, Phrygias turrata per Urbes, cœlestibus Dis cincta. FRIDERICE AUGUSTE, cum augusta Thalami Socia per medias Populi Procellas, & adplaudentium Torrentem Provinciarum, non tam Curru triumphali, quàm exultantium Humeris Civium, in Patriam, in Urbem, in Palatium, invehere! atque Mensuram augusti Nominis, & auspiciati Ominis patriis virtutibus adimple:

Sic Tecum sociales impleat Annos,
Quæ, nisi Tè, nullo Conjuge digna fuit. (z)

Magni Regis magne Fili, Mecaenas, Præsidiûmque, Columénque nostrum, Numen auditum longe! cùm, quale Meritis tuis debetur, Obsequium exhibere non possim; venerabundô facundus Silentio, Te colam; quoniam Ignominia Virtutum est, laudare, quos satis nequeas. Hoc unum omnia; quod ille compendiô:

Te Leda mallet, quàm dare Castorem;
Præfert Achilli Te proprio Thetis. (aa)

FER-

(x) Hist. 11. (y) Homer. (z) Ovid. Tr. 11. (aa) C. Claud. in Fescen.

FERCULUM V.

FERCULUM V. quemadmodum & alia, multifariò Ornatu, & Anagly-
his insigne, Ars, utpote gratum Naturæ Mendacium (quod, quo magis
fallit, Veritati est propinquius) denique adsignat, & consignat

VENUSTATI, & DILECTIONI.

Amplius sperari nil potest. Purpuratus Austriacorum Siderum Chorus,
Majestatis novò Jubare paludatus, sacris in Pulvinaribus ostendit, & ostentat
MARIAM JOSEPHAM, JOSEPHI FEL. & AMALIÆ AUG.
Filiam, in Maximas maximorum Regnorum Spes feliciter desponsatam;
cui devotum hoc Votum perpetuâ Devotione votum :

MARIAE, JOSEPHAE,

In. Spem, Rerum, laetanter. crescenti,
Decus! Obsequium! Aeternitas!

Affectas, quod in Terris cœlestium exhibeat Ideam : in humanis
Divinitatem ? en ! Heroïnâ, cum Astris gemmeam, cum
Phœbo auream, cum Cynthia candidam, & rubicundam : totam austriacè
pulchram, & pulchrè austriacam, Deorum CONVIVIO discumbentem.

*Mediis Famula CONVIVIA Tectis
Expediunt ; tyriò vibrat Tborus igneus Ostrò :
In Medio Aesonides jam se Regina locavit ;
Post alii Proceres. (bb)*

Huc igitur Oculos, si dignam Imperiò Majestatem spectes; huc Ani-
mos, si Principem, Os, Humeròsque Dææ similem ! aut, si mavis, vel Fron-
tem ARCHI-DUCIS, vel adfixam Ferculo Tabellam elige, & lege :

Quæ potior Scepbris Facies ? quis dignior Aulâ
Vultus erit ? non Labra Rosæ, non Colla Pruinæ,
Non Crines æquant Violæ, non Lumina Flammæ. (cc)

Uni acceptum fuisse, interdum Gratia est : multis placuisse, Judicium;
dignissimo dignissimam esse dilectam, & electam, suprema est utriusque
Felicitas. Quid pluribûs opus est ? intueamur, electissimi ac sapientissimi
Electoris Decretum, Bellariis lautissimis, laudatissimisque adscriptum :

Elegit Sponsus. Nihil ultra Laudibus addi,
Judiciòve potest. (dd) Non

(bb) Valer. Flac. de Epul. Jason. (cc) C. Claud. de Nupt. Hon. & Mar. (dd) C. Claud. in Epithal. Pall. & Celer.

Non est omnium, impavidô Oculô Deorum ante Aras litare, & libare;
audentem perstringit insolita Fulgoris Acrimonia. Profundissimâ igitur
Veneratione, pronôque Genio, & Genu, sacerrimo Principum PARI,
omnibûs (quas finxgit in Heroibus Antiquitas) Virtutibûs Inclÿto, hoc
postremum Laudis Anathema, omnî, quo par est, Cultu, do, dico, dedico:

Quis, cùm micantem Te propè viderit,
Non optet ultrò Servitium pati? (cc)

O fave! O annue! O DEUS potens! DEUS Exercituum, Princeps Pa-
cis, & Pastor Israël: ut, sicut Te unum DEUM; ita CAROLUM,
Pacis Causâ armatum, colat Ortus: colat Occasus! ut Domus Au-
striaca, & Saxonica felicissimô hoc Nexu perennet! ut augustum, ac
venerabile PAR Conjugum, largô cæsareæ Hospitalitatis, ac Benevo-
lentia Specimine honoratum, novô antiqui Splendoris Incre-
mentô vigeat, floreat, crescat! Hoc Austriae,
hoc Saxoniae, hoc Europæ,
largire!

(cc) *Id in Fescen.*



Non est omnium, impavido oculis Deorum ante aras stare, & libere
 audientem perstringit in se, & in se, & in se, & in se, & in se,
 Venatione, prodigne, & in se, & in se, & in se, & in se,
 omnibus (quasi in se, & in se, & in se, & in se, & in se,
 postquam, & in se, & in se, & in se, & in se, & in se,

Quis, cum micantem Te prope videt,
 Non, & in se, & in se, & in se, & in se, & in se,

Quis, cum micantem Te prope videt,
 Non, & in se, & in se, & in se, & in se, & in se,
 Quis, cum micantem Te prope videt,
 Non, & in se, & in se, & in se, & in se, & in se,
 Quis, cum micantem Te prope videt,
 Non, & in se, & in se, & in se, & in se, & in se,
 Quis, cum micantem Te prope videt,
 Non, & in se, & in se, & in se, & in se, & in se,



ne



ULB Halle

3

005 037 034





h. 9, 20.

Vd
1634

ΓΑΜΗΛΙΟΝ,
Imp. Caes. Aug. Max.

CAROLO VI.

IMPERANTE;

FRIDERICO

AUGUSTO,

MAXONI:

ARIÆ

SEPHÆ,

ARCHIDUCI,

as Conditio Mortalium recipit,
TIARUM PRINCIPIBUS,

Cum

eorum CONVIVIUM,

In

patiosaq. Austriacorum Regia,
nigeno Cultu, Luxuq. ageretur,

Hilarî Pietate

cebratum, atque consecratum

à

NEWEN, Colon. Caes. Aul. Pœt. Laur.

e Virginitatis MDCCXIX. D. XX. Vtilis.

Typis Wolfgangi Schwendimann, Universitatis Typographi.

